

non esse, lectas tamen jam olim cum ex ejus, tum aliorum PP. Locis, quibus Psalmorum elogia continentur, atque a Descriptoribus magna libertate auctas, contractas, inter se confusas. His porro praemissis, et primis foliis errore Compactoris aliquantum turbatis ipsae Augustini Enarrationes a litera B, quae Psalmo I. initium dat, totam paene paginam implente et magnifice depicta ordiuntur, cui e latere interiori minio adscriptum: *Incipit expositio beati Augustini episcopi a psalmo primo usque ad quinquagesimum primum*; et paulo infra literis quadratis colore laetissime variantibus: *Eatus Vir Qui non Abiit In Consilio Impiorum*. Textum, quoad contuli, valde sincerum reperi. Miniata Subscriptio est: *Explicit de psalmo L. pars prima*. Πάρεργα sunt sequentia: 1) Oratio, quam post singulos Sermones ab Augustino dici solitam Mauriani T. IV. col. 1698. post Psalm. 150. exhibent: *Conuersi ad dominum deum &c.* 2) Prefatio sancti Jeronimi presbiteri super psalterium. Nota illa ad Paulam et Eustochium: *Psalterium Romae dudum (positus) emendaue-ram &c.* 3) Psalmus ille spurius: *Puillus eram inter fratres &c.* Ante quem monetur: *Hic psalmus proprie scriptus est a dauid extra numerum, quando pugnauit aduersus goliath.* Et ad calcem: *Hic psalmus in hebreis codicibus non habetur. sed nec a LXX. interpretibus editus est. et idcirco repudiat.* 4) Index Psalmorum XLI. addita opportunitate, quando di-

cendi, v. g. *Ad maiores operas uicesimus septimus. Vt oculum pudice agas primus. De uigiis in grabato sextus &c.* 5) Brevis Catechesis: *Psalmus quid est? Psalmus est concertus organi atque modulatio &c.* Ita quaeritur de *Cantico, Diapsalmate, Doctrina Psalmorum, et Alleluia*, de quo ultimo fat inepte respondetur. Interim haec Rubricis illis III. praeuiis conjuncta Adparatum aliquantum in Psalmos conficiunt.

Folium ult. haec duo habet: *Hii uersus digito dei scripti et reperi sunt a quodam sancto heremita in psalmo. Exurgat deus. Vaticinium puta, quod incipit: Excitabitur romanus contra romanum. et romanus romano substituetur romae. — Leo substituetur agnis, et agni leonis depredabuntur.* Cetera omnia Effata generalia sunt, minimeque in Heraldicis se versatum esse ostendit Propheta. Nota altera incipit: *Hee reliquie sunt recondite in Altari Sancte Marie Magdalene.* Videlicet in Coenobio Pomerii Montis. Longus est Divorum utriusque Sexus Catalogus, in quo mihi Virginum Sambanae, Patrivaliae, et Guonhildae ignota Nomina.

CCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3259 XII. Folior. 190. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et minio illustratus est Pars I. D. Augustini Enarrationum in Psalmos. Primum Πόλεγομενα videamus. *De Laude Psalmorum.* Initium:

tium: *Prophetie spiritus non semper* &c. Catechesis: *Psalms quid est? Psalmus est concentus* &c. Praefatio Hieronymi: *Psalterium Romae dudum positus* &c. Psalmus spurius: *Puillus eram* &c. Praefamen illud: *Canticum psalmodum corpus sanctificat* &c. Dixi de his omnibus ad Codicem praecedentem. Ipsi Operis inscriptio litera quadrata est: *In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Incipit Liber Decada Domni Augustini Aurelii A Psalmo Primo Usque Ad Quinquagesimum Primum.* Divisionem in *Decades* posteriores a *Cassiodoro* sumfisse videntur; is enim primus in Prologo ad suum in *Psalms* Commentarium de *Augustino* ait: *quae ille in Decadas quindecim mirabiliter explicavit.* Ajunt tamen *Mauriani*, divisionem hanc in paucis Codicibus memorari. Habemus igitur in praesenti *Decades* V. priores, quae a splendidissima litera B (*eatus*) ordiuntur. Ante *Psf. XV.* nescio, quid sibi velint, quae adscribo: *Ab hoc quinto decimo prescripti psalmi prius in exemplaribus habentur per numerum, id est, per heras (aeras seu Notas) uersuum, et deinceps tractatus uersuum. Ideoque qui super indueti sunt, legendi sunt, licet mutato modo sint tractatoris ab alio quodam translati. Vnde ipsi ita transtulimus.* Nullam certe inter antecedentia et sequentia differentiam deprehendi. Tractatus in *Psf. XXXIV.* quem tempore alicujus Concilii habitum notarunt *Mauriani*, nobis praenotatur: *Apud tangaste, 1. Tagasten. Nomi-*

na Episcoporum *Serm. II. in Psf. XXXVI.* uti et Ecclesiarum saepe ab Editis variant. *Sermo in Psf. XXXVIII. habitus ad mensam S. Cypriani* nobis addit *quarta Feria.* Ad calcem Codicis habemus *Orationem*, quam Edita *Psf. CL.* subjungunt: *Conuersi ad dominum deum patrem* &c. Textus capto collationis experimento ad Editorum perfectionem non adsurgit.

CCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3066
XII. Folior. nunc 124. f. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis, geminaque initiorum Litera picturata comtus, et olim *Sandae Mariae in boumgartenberg* Monasterii Cisterc. superior. *Austriae* complectitur *S. Augustini Enarrationes in Psalms*, et quidem a *Psalmo CI.* usque ad *Sermonem 25. in Psalmum CXVIII.* in quo abrumpitur. Rubrica prima est: *Incipit tractatus beati Augustini episcopi de titulo psalmi centesimi Primi.* Nempe: *Ecce unus pauper erat (orat) et non erat (orat) in silentio. Libet ergo eum audire et uidere quisnam sit* &c. Ut edit. *Maur. T. IV. col. 1091.* sed non absunt menda, ut ipsum ostendit principium. Praeterea post *fol. 49.* evulsum est initium *Psalmi CIV.* usque ad verba: *velut quereremus, quomodo factum sit* &c. quae sunt edit. *n. 17.* Item post *fol. 120. e Sermone 21. in Psalmum CXVIII.* a verbis: *non intelligo nisi caritatem. Quid enim profuisset* — deperiit membrana usque